

reliquos inimicos eius , qui tā breui tēpore
gauisi sunt , vt dici possint non esse gauisi.

XIII. Me autem propter innocentiam suscepisti , & confirmasti me in conspectu tuo in æternum.

Docet , inimicos non diu gauisuros de morte sua; quoniam à Deo suscepitus & exaltatus ob innocentiam suam fuerit. Me autem , inquit , propter innocentiam tibi optimè notam , suscepisti de manibus eorum , & confirmasti in conspectu tuo in æternum , id est , humiliasti me ad horam in conspectu hominum , sed suscepisti , & confirmasti me in conspectu tuo , id est , stare fecisti ante conspectum tuum in cœlo usq; in æternum : vox enim hebræa significat , statuisti ante conspectum tuum ; quod factum est per exaltationem , & assumptionem in cœlum .

XIV. Benedictus Dominus Deus Israel à sæculo , & usque in sæculum , fiat , fiat.

Ista conclusio , siue Christi sit , siue Prophetæ , nihil aliud significat , nisi propter exaltationem Christi , & confusionem inimicorum eius , deberi honorem , & gloriā , & benedictionem Deo ab æterno , & usque in æternum , id est , sine fine. Illud autem , fiat , fiat , Hebraicè autem Amen , Amen , confirmatio est dictorum , vt sensus sit , verè , seu fideliter ita fit , siue ita fiat , & semper Deo laus & gloria deferatur. Atque hic est finis primi libri secundum hebreos , qui Psalterium in quinque libros distribuerunt.

אָמֵן אָמֵן

PSALM. XXXXI.

Titulus, & Argumentum.

In finem , intellectus filijs Core.

Titulus admonet filios Core , quibus dabatur Psalmus cantandus , ut intelligant qua canunt , ut & auditores intelligere faciant: qua admonitio canticis Ecclesiasticis memoria commendanda est: cantus enim in Ecclesia spiritui deseruire debet , & non soli aurium oblectationi. Et sicut qui intelligenter , & deuotè canunt , ani-

mos audientium rapiunt in Deum , ita quā theatrales modulos in Ecclesiam inuehant. de domo Dei scenam Mundi faciunt. Vide S. Hiero. in caput quintum ad Ephesios. Argumentum Psalmi aliqui esse volunt , quod David exul tempore Saulis queratur , se non posset in anno in Hierusalem ad festa Domini accedere. Sed tempore Saulis non erat tabernaculum Domini in Hierusalem , sed in Silo , & ad eum locum ibant ter in anno Israelita. Præterea tā ingens desiderium , quale hoc loco exprimitur , non videtur posse referri ad tabernaculum manufactum , & arcum ligneā. Propterea Psalmi argumentum esse putamus , ut sancti Patres Hiero. August. & Chrysost. docent , quod David amore diuino succensus , exprimere conatur uohemēs desiderium , quo tenebatur perueniendi ad visionem Dei , que est uera , & sempiterna felicitas , cum tamen inter tentationes , & pericula peregrinationis uiueret. Sed dum ipse desiderium suum exprimit , simul docet , qua sint argumenta , unde verus Dei amor possit agnoscī.

EXPLICAT. PSAL. XXXXI.

Quemadmodum desiderat ceruus ad I. fontes aquarum , ita desiderat anima mea ad te Deus.

Amor res est igneæ naturæ , ac per hoc intus retineri non potest , sed per verba , & suspiria foras erūpit. David igitur , vt amorem suum aliquo modo exprimat , comparat se Ceruo sitibundo , dicens , Quemadmodum desiderat ceruus ad fontes aquarum , videlicet , peruenire ; ita desiderat anima mea peruenire ad te Deus ; quæ aptissima similitudo est : ceruus enim quatuor habet qualitates : primū inimicissimus est serpentibus , atq; cum eis perpetuum bellū gerit : deinde , cum à venatoribus queritur , ad montes altissimos velocissimo cursu confugit : tum , mandatum illud Apostoli , Alter alterius onera portare , ab instinctu quodam naturæ obseruat : nam , vt scribit S. Aug. tum hoc loco , tum serm. 21. de verbis Apostoli , traduntur cerui , vel quando in agmine suo ambulant , vel quando natando alias terrarum partes petunt , onera caputum